BREVIS
DE
HYDROCEPHALO ACUTO
TRACTATIO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
PRO
DOCTORIS MEDICINAE GRADU
ASSEQUENDO
DIE XXVII. M. MARTII A. MDCCCXXII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
MAYER LEVI
MAINBERNHEIMIENSIS

OPPONENTIBUS.
L. LILIENHAIN, MED. DR.
M. STEINTHAL, MED. DR.
C. LOEVER, MED. CD.

FORMIS BRUESCHCKIANIS.

Non enim quid novum, ut vulgo fit, sed, quid verum, quid rectum, quid utile commodumque sit, quaerimus, et sectamur.

VIRO

HUMANISSIMO SUMMOPERE COLENDO

B. GUETERBOCK

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

GRATI SIGNUM PECTORIS

D. D. D.

AUCTOR.

Praefatio.

More consueto est tironis medicinam faciendam adituri opusculum de rebus medicis in lucem edere. Quod cum autem tot tantisque difficultatibus stipatum sit, quoniam nova dicendi medicus iuvenilis, qui experientia caret, inops est, sententiasque virorum in medicina practica longam annorum seriem versatorum de experientiis depromtas laedere non ausit, nisi derideri velit: oportuit, longe mecum agerem, quidnam, cui potissimum vires meae pares essent, hunc ad finem mihi eligendum sit; modo hoc modo illud consilium cepi, semperque idem mutare cogebar simul ac animadverteram hisce exponendis vires meas satisfacere non posse. Denique in mentem

mihi venit, non necesse esse ut fructus uberes de opusculo a me componendo capiantur, sed sufficere si dissertatiuncula mea non nihil tantum utilitatis allatura sit. Quod quidem praebere tum demum valebo, si tale thema legero, in quo experientiae non plane expers sim, idcirco hydrocephalum acutum, quem pluries tractari vidi, et ipsemet in policlinico duce perill. Hufeland et Cel. Osann semel curavi, describendum mihi proposui. Nunc, lector benevole, hunc libellum in manibus tuis loco, cuiusque finem diligenter recorderis etiam atque etiam rogo.

§. I.

Si morbi, quem petractandum statuimus descriptionem a variis scriptoribus superioris seculi exhibitam legimus, discrimina tam magna reperimus, ut vix ac ne vix quidem unum eundemque morbum in ea detegamus. Hoc autem ex eo natum est, quod omni fere vice quodque malum, aquae collectu in cerebro post mortem invento, sine laticis respectu serosi in eo, vita iam sublata, aliquando orientis, huic generi, de quo nobis agendum, adnumeratum est, aut vice versa minimam modo eiusdem similitudinem in suo decursu gerens mortisque causa neglecta, nomine hydrocephali nuncupatum est. Quo facto, opiniones sibi adversae inter medicos ortae sunt, et inde facile intellectu est, cur Weikard eiusmodi morbum existere plane negavit, cuius vero opinio denique rationibus experientiisque refutata est a medicis nostrae aetatis, qui simul bene de huius morbi descriptione exactiori et curatione ei strictius accommodata meriti sunt. Quum vero varia adhuc discrimina de morbi natura inter eos habent locum, statui, ea, quae experientia his viris tri-

buit, horumque sententias conferre, et cum pauxillo, quod vidi, comparare, quo spes mihi est, me morbi imaginem ad fidem depicturum.

§. 2.

Hydrocephalus acutus est morbus infantili aetati et puerili maxime familiaris sine sexus discrimine. Etsi adultis rarissime immineat, non nulli tamen scriptores prioris temporis reperiuntur, qui aetate provectos quoque in hoc malum incidisse enarrarint, quod etiam temporis recentioris medici experti sunt. Priorem autem aetatem illud multo magis quam productam amare omnes consentiunt, quapropter inter morbos infantiles ei locus concessus est. Qui vero non nullis haud satisfecit, sed, certum tenerae aetatis spatium ostendere ad eum maxime pronum studuerunt, quod inter annum primum et octavum, dentitionis negotium, quod praecipue ei ansam praebere existimant, comprehens, volunt esse; alii contra idem non tam circumscriptum concedentes a partu extendunt ad perfectam cerebri evolutionem usque, quae aliis ocius aliis serius fit. Nihilo tamen secius utraeque partes, si arbitratu proprio uti licet, reconciliari possunt. Quemadmodum dispositio ad huiusmodi malum in cerebri evolutione vere fundata est, ut infra latius exponam, ita dentitionis opus causam occasionalem non minoris ponderis, quae amoveri non potest, eidem provocando praebet, quo verisimile redditur, quod istud frequentius tempore dentiendi durante occurat; at multae aliae quoque noxae externae magis fortuitae quam in progredienti organismi partium evolutione

positae, quae idcirco averti queunt, valent illud efformare, quo simul explicari potest, cur hydrops cerebri acutus aetate dentitionem transgressa rarius contingat.

§. 3.

Hic morbus significat cerebri vel meningum aut utrarumque inflammationem in exudationem serosam aut lymphaticam aut purulentam vel ex his mixtam desituram. Venia mihi sit, quod audax hunc morbum, multis discrepantibus, inflammatorium decleravi; loco opportuno plura verba faciam. Varias pro varia humoris exudati sede species agnoscit 1), hydrocephalum acutum meningeum, secreto morboso inter meninges stagnante; encephaloiden, exudato in cerebri ventriculis collecto; universalem, fluido alieno singulis in his locis cumulato.

Observatio et enim edocuit, non semper eius causam capiti insidere sed quandoque aliis partibus dissitis, ex quarum consensu caput afficiatur. Quare, prout una aut altera ratione hydrocephalus acutus fit, alia hinc oritur divisio, in idiopothicum scilicet, symptomaticum, et metastaticum, a morbo praegresso profectum. Goelis distinguit denique hydrocephalum acutissimum sive apoplexiam aquosam, ob praecipitem huius decursum et magnum periculum, quod aegris infert, idem vero est, qui ab aliis metastaticus inscribitur.

Propriam ad hunc morbum opportunitatem, pecu-

---

1) P. Frank de morbis hominum curandis epitome. l. VI. p. 1.

liari capitis architectura modo congenita modo acquisita designatam, et plures non raro unius familiae infantes occupantem existere Formey animadvertit. Horum infantum capitis structura est magis globosa quam ovalis, ossa frontis solito plus prominent, oculi marginibus ossium frontis eminentioribus obumbrati profundius in orbita iacent. Hanc autem capitis deformitatem omnino inficiatur Goelis 1). Etenim Frank renunciat succi infantes vividioris huic malo praeceteris obnoxios esse.

§. 4.

Morbi duratio non plane definita est, modo minus temporis spatium modo maius explet, in genere quidem vigesimam quartam diem non excedit.

Quoad decursus divisionem in stadia, certamen adhuc inter medicos est. Multi tria studia designavere, stadium puta inflammatorium, poralyticum et convulsivum, quae vero Wichmann, Hopfengaertner et Cheyne silentio praeterierunt, non autem formey 2), multo potius distributionem in stadia improbat, ne per eam error contrahatur, aquae collectionem in cerebro pro principe malo haberi, atque necessariam ad hunc morbum constituendum assumi. E contrario mihi autem dispositio in stadia vi-

---

1) Praktische Abhandlung über d. vorzüglichern Krankheiten des kindlichen Alters. 1. Bd. p. 13.

2) Von der Wassersucht in den Gehirnhöhlen. Horus Archiv für medicinische Erfahrung 1. Theil. p. 235. 1810.

detur morbi, de quo agimus, indolem magis efferre atque illustrare, nam primi denominatio stadii, utut interim sit, nisi phaenomenis opposita, declarat, morbi principium cerebri vasorum actionem ad minimum exaltatam esse, eademque illum errorem plane eripit. Utrum alicuius humoris effusio ad hunc morbum peculiarem, si huius decursus solitus atque arte non praesuptus est, necessaria sit, nec ne, medicorum peritorum arbitrio relinquo. Ad faciliorem vero praegressus morbi cognitionem, in stadii, quorum singula saepissime a natura luculentis notis insigniuntur, partitionem non leve adiumentum habeo, quapropter decursum morbi nunc describendum secundum stadia ab multis agnita proferam.

§. 5.

Hoc malum raro subito prorumpit, sed plerumque signa se indicantia maiore minoreve ante temporis spatio praemittit. Quum hi autem prodromi magis temporarii et fortuiti quam constantes sint, imo etiam morbus interdum, et rarius quidem, repente exardescit, in stadium deïn proprium, morbi decursus porticeps, redigi nequeunt, nec ad decursum morbi normalem necessarii sunt.

Infantis hilaritas incipit in tristitiam commutari, eiusque garrulitas paullatim obmutescit, uno verbo, habitus animi laetus omnino in difficilem vertitur sine ulla causa manifesta. Mox infantulus sanguinis congestionem ad caput patitur, loqueam iam callens de capitis gravitate et vertigine, praesertim si lecto insi-

det aut se in hoc erigit, queritur, fari adhuc nescius easdem indicat capitis vacillatione, et subito ex eiulatu silentio 1); modo faciei rubor fugax animadvertitur, modo pallor inconsuetus; modo fervor, modo horror accusatur. Oculus nitorem amittit vel excipit ruborem, quem inde lucis aversatio consequitur; nonnunquam auditus valde acuitur. Loquendi potentia iam praeditus de abdomine etiam dolente conqueritur, nec minus arguit dolorem externum trahentem ex una parte in alteram, rheumatismi instar, ambulantem; illa vero necdum gaudens dolorem indicat alterutram manum in partem dolentem movendo una cum eiulatu. Pusio iamdum ambulans nunc gressum peculiarem, hydrocephalum acutum certius praenunciantem induit: toto corpore vacillans pedes humo infirme, imponit 2) titubat inter progrediendum ac cadit 3), laboriose pedes non resolutos, qui munus tamen recusare videntur, alte extollit 4), veluti scalas adscendere velit. 5). Organorum porro laesio digerentium sui signa exhibet, appetitum nempe minutum, intestinorum segnitiem, vomituritiones et vomitum, imprimis decubitu horizontali relicto. Quandoque pruritus totius corporis cutem maxime narium vexat 6). Urinae secretio

1) Goelis l. c. p. 18.

2) Sprengels Handbuch der Pathologie 3. Thl. p. 422.

3) Formay l. c. p. 226.

4) Wichmann, Ideen zur diagnostik. p. 306.

5) Goelis l. c. p. 20.

6) Hopfengaertner. Untersuchung über die Natur und Behandlung der verschiedenen Arten der Gehirnwassersucht. p. 39.

parca, alba et lactis sero similis 1). In superficie brachii externa spectantur papulae albae et siccae, quae cutis colorem non inquinant 2). Somnus inquietus, ex quo subita excitatio, fletus atque eiulatus.

Hi prodromi rarissime omnes morbum ipsum antecedunt, imo interdum etiam omnes deficiunt, ubi enim stadium inflammatorium subito obrepit. At contra omnia ad unum haec indicia apparere queunt, non tamen hydrocephali praenuncia acuti sunt, ac potius alius morbi cuiuscunque, quod multiplice experientia confirmatum invenit Frank, qui „atque tamen, inquit, haec fere singula — si futurum ventriculorum cerebri hydropem, non minus alium quemcunque morbum, imprimis dentitionem difficilem indicare queunt, symptomata" 3) Per se nunc liquet, quod haec symptomata stadium peculiare constituere hic nequeunt. Nunc ad stadii morbi inflammatorii descriptionem properamus.

§. VI.

Stadium inflammationis s. initii.

Haec perjodus luculentissimas ostendit inflammationis intra cranium locum habentis notas, Pulsus fit febrilis, plerumque vero inaequaliter micat, et intermittit, aliquondo plures pulsus ictus celerrime labuntur, quos inde nonnulli rari sequuntur, modo etiam

1) Fermey l. c. 225.

2) idem ibid.

3) l. c. p. 184.

remissionem recipit pulsus, sed nunquam ad naturalem omnino motum redit, vespere eius frequentia augetur magno bibendi desiderio; huiusmodi autem febris non semper certum servat typum. Oculi ob sensibilitatem retinae auctam lucem fugientes sese plane occludunt, quibus autem apertis, pupilla evadit contracta, quandoque vero dilatata 1); tunica adnata vasis sanguine turgidis rubet, et lacrymae sponte profluunt; auditui acuto levissimus motus vel sonus molestiae est. Manus capiti imposita calorem magnopere auctum sentit, capitisque dolorem ab altero latere in alterum tendentem, omnique corporis motu intensum aeger verbis, si quae facere iam potest, describit, loquela adhuc carens manum ad caput et oculos movet, tanquam si quid ab his abstergere velit 2); interdum caput admodum leniter dolet, vel plane desinit et, febri xacerbante, graviter dolor exardescit. Digitus carotidi superpositus vehementem sentit pulsationem, quam non minus in arteria temporali. Polpebrae superioris intumescentia oedematodes impedit, quominus oculus libere se aperiat; faciei pallor alternatim rubore fugace inducitur; siccitas et pruritus in naribus, quas aegrotans scalpit veluti is, qui vermibus excruciatur, absque labiis siccis cuticulae frustula secedunt. Digestio summopere laesa est, lingua est alba et sicca, appetitus plane deiectus; at hunc aliquando ad mortem usque integrum perdurare observavit Frank 3); nausea, vo-

---

1) Hopfengaertner. op. c. p. 40.

2) Wichmann. l. c. 307.

3) l. c. p. 185.

minturitio et materiae vomitus porraceae pluries per diem praesertim erigendo repetitus atque decubitu horizontali solo mitigandus aegrotum vehementer divexat. Abdomen intumescit, quae autem intumescentia mollis est atque citra ullam evacuationem alvinam sponte rursus subsedit, quidquod, simul glandularum intumescentia meseraicarum redire videtur 1) regio vero epigastrica tensa persistit, et pressa dolet; alvi obstructio ita pertinax est, ut omnia fere purgantia respuat; illa autem laxata exhibet materiam viridem et foedidam, modo glutinosam modo argillaceam. Excretio lotii valde imminuta sedimentum ostendit album; dolores rheumatici supra (§. V.) annotati nunc intensiores sunt. In quibusdam corporis partibus non nunquam sudor quidem apparet, sed sine ulla utilitate 2). Somnus inquietus, ex quo vana aeger loquitur, et dentium stridore corripitur, illico eiulatum peculiarem, huic morbo proprium et praesentes intime moventem emittit, qui illi strepitui maxime affinis est, quem lima supra dura metalla ducta facit. Facile adhuc aeger ex somno excitari potest, et petentibus responsa dat, quamvis brevi morosoque sermone. Respirationem iam difficilem saepius intercipit gemituum ductio. Porro animadvertitur nunc illud supra (§. V.) denotatum exanthema etiam circa labia, in fronte, collo atque pectore 3).

1) Goelis l. c. p. 30.
2) Hopfengaertner. op. c. p. 41.
3) Wichmann l. c. p. 310.

Hic morbi status plerumque per plures dies porrigitur; aliquando autem tempus suum passu ita celeri summo cum periculo aegri percurrit, ut deficere omnino videatur, nec nisi sequelis relictis cognosci possit. Hydrocephalum hoc modo invadentem Goelis 1) apoplexiam aquosam nominat.

§. VII.

Stadium exudationis s. fastigii.

Hoc morbi spatium se sensibilitatis mutatione exaltatae in nimis minutam renunciat. Pulsus frequentia desinit in tarditatem praeternaturalem, perdurante inaequalitate, simulque capitis calor ultra modum exaugetur, retinae vis frangitur, pupilla dilatata lucis appulsu vividioris motu tantum deside parum contrahitur, visus est fallax, quo aegrotus obiecta ante oculos posita aut non cognoscit, aut duplicia ei videntur, quo fit, ut comprehensurus manum graeter ea porrigat; oculi contorquentur et in unam directionem defixi persistunt, alterius saepenumero inversio, qua axis opticus divergit, strabismum efficit; plerumque sinister, ut Hopfengaertner 2) annotavit, paulo plus prominet, nosquoque, si nostram pusillam experientiam adducere fas est, idem observavimus, quod ab oculi vasorum plenitudine et palpebrae paralysi quidem spuria superioris repetendum est. Auditus acies obtunditur, et difficultas audiendi magna fit. Infans nunc

1) l. c. p. 5.

2) l. c. p. 39.

lectum relinquere non amplius valet, in quo enim positionem horizontalem petit, qua maxime quiescit, statim vero ac ex ea tollitur vel erigitur, maxima afficitur anxietate atque inquiete sub desiderio in situm vix relictum recombendi, quo expleto, ad quietem redit, quo etiam vomitus sub hac perjodo jam dum rarior potissimum placatur, quem quidem frequentius nunc redeuntem profert Frank 1) potiusque Wichmann 2) eum alias decubitu horizontali solo sedatum, hoc morbi spatio eodem provocatum semel observavit. Aegrotus hoc modo afflictatus omnino immobilis jacet, tacitusque fronte contracto et palpebris superioribus demissis laborem suum exprimit, incidit in soporem, qui vicibus partitis subita excitatione interrumpitur, quam clamor absonus supra (§. VI.) animadversus sequitur, maxima cum velocitate manus ad caput feruntur, atque nasum, qui vehementer perfricatur, mox vero sopor redit vagitibus susperiisque interceptus; interrogando expergefactus respicit quidem alloquentem sed vix respondet quibusdam plerumque intercisis voculis, quae saepe jam supra labia oblivioni dantur, faciei ruboris et palloris vicissitudo frequentior fit. Lingua est sicca, sordida et fusca, nihilo tamen minus infans in dorsum decumbens cibaria et potulenta propinata magna cum cupiditate devorat. Alvus adhuc pertinaciter adstricta est, quae tandem medicinae auxilio laxata habet excrementa glutinosa, subnigra, odo-

---

1) l. c. p. 190.

2) l. c. 308.

risque acidi, aut putridi. Secretio urinae peccat tum quantitate cum qualitate, modo involuntorie profluit, modo spasmis retinetur. Respiratio nimis alta suspiriisque intercepta alterne acceleratur et retardatur, cuius tarditas pulsus intermissionem subsequenti micationi celeri respondet, et sic eius celeritas pulsus retardationi. Nunc saepe numero fit, ut aegrotus ad breve temporis spetium sublevatus et ab orci faucibus revocatus videatur 1), ad se redit, expostulat crepundia sua, escam petit, lectumque relinquere cupit, infans primum vel secundum aetatis annum agens, verborum inops blande alloquenti dulce arridet. Mox vero tristis mali imago revertitur, omniaque in peius ruunt symptomata, vires magis magisque fatiscunt, parvulus iterum in soporem recidit, ex quo vix excitari potest. Malum demum intrat tertiam periodum, quae tristem scenam absolvit.

§. VIII.
Stadium paralyticum s. lethale.

Hunc statum inducit humoris effusio in cerebrum omnino facta, quae simul mortis causam secum affert, in quam vita amplius semel vires suas intendit, quae tum vero cito exhauriuntur. Pulsus ad frequentiam fere innumerabilem adscendit, fit autem filiformis, semper magis inaequalis et intermittens; manus pedesque vicissem frigescunt et calescunt; sopor insuperabilis, ex quo incitantissimorum et cruciantissimorum ad-

---

1) Formey l. c. p. 238.
Goelis l. c. p. 41.

hibitione remediorum vix suspirium elicitur. Oculi semiaperti et immobiles sunt, pupilla valde dilatata nullam reactionem contra lucem vividissimam ostendit; nonnunquam vero pupillam valde contractam esse annotat Frank 1) quam semel ipsemet vidi, sed eodem torpore affectam; oculi fixi muco puriformi ab glandulis maibomianis emisso obducti sunt, sub quo vasa coniunctivae sanguine turgida promicant. Faciet collapsa pallet; in fronte et genis apparent maculae rubrae fugaces; labia sicca livescunt et saepe in unum latus retracta sunt, veluti miser vagire velit, nec ob magnam autem debilitatem possit. Qui aegri caput manu paullulum elevat ad medicinam dandam, sentit ingens capitis pondus. Sitis magna esse videtur, dum potulenta porrecta raptim resorbentur, quae enim vero ob spasticam pharyngis contractionem statim reiiciuntur; lingua sordida, aspera et fissa est. Alvus fluida et nigricans sine aegri sensu decedit; urinae vel missio, aegro nesciente nolenteque, vel retentio spastica. Respiratio difficilis atque intermittens laboriose ex imo pectore ducit spiritus foetidos, quorum singulus suspirii similis est; prodeunt huc et illuc sudores frigidi. Convulsiones demum prorumpunt ut plurimum unius lateris adhuc calentis, altero iam plane resoluto et caloris privato, non minus illae oculis et faciei parcunt, illosque vehementer circumagunt, hanc vero terribilem in modum distorquent, sub quibus perculsionibus longius minusve durantibus cum vita mors commutatur.

---

1) l. c. 194.

§. IX.

Quamquam hic motbus multa peculiaria propriaque suo in decursu exhibet, attamen in omnibus fere scriptis de illo disserentibus diagnosis accusatur incertitudinis atque facilis cum febre verminosa confusionis, ad has autem avestendas discrimina inser nostrum morbum et illam sistere moliti sunt, quae repetere hic nolo. Illam autem non hydrocephalus acutus solus meretur incusationem, sed omnes morbi infantiles, quippe qui unam fere eandemque superficiem, ex qua tamen morbi cognitio colligenda est, ostendunt. Quaestio ideo movenda est, cur huius potissimum morbi cognitionem putent difficilem? aliter responderi, ni fallor, non potest, quam quod malum hydrocephalicum, quem admodum natura et sede sua ab aliis morbis eandem speciem prae se ferentibus diversum, ob notas tamen morbosas partium dissitarum per consensum effectas, uti vomitum aeruginosum dolorem tensionemque abdominis, obstructionem alvi pertinacem, aliaque difficile cognitu et ab morbis in abdomine sedem primariam habentibus distinctu sit. Ideoque discrimen inter affectionem abdominis verminosam et illam e cerebri hydrope acuto ortam exhibendum, quo certa et tuta cognitio prodeat, summi momenti erit. Illud vero non ex uno symptomate nec singulis seiunctis sumendum est, sed ex cunctorum complaxu, ut aliter dicam, ex tota morbi imagine abstrahi oportet. Si in malo hydrocephalico statum abdominis consideramus eum multo aliter invenimus, quam in febri verminosa, nam in illo malo symptomata passionem abdominalem indicantia, cuncta magis in

affectionem inflammatoriam (nolim inflammationem interpreteris) decurrunt, ex consensu cum capite natam, et revera in omnibus fere cadaveribus hydrocephalo acuto defunctorum Cheyne 1) hepatitiden erysipelatoden comperit, quam saepissime capitis affectionibus accedere alias videmus, eamque frequentius aut fortasse semper in cadaveribus ex hoc malo mortuorum detegeretur, si modo in his cavum abdominale diligentius examinatum esset. Propriarum igitur abdominis apparitionum, quae vere magis ad inflammationem spectant, et ab illis e morbo verminoso profectis discedunt, comprehensio, et capitis status propriam hydrocephalo ocuto induunt formam, quae, si recte capta est, nullam cum alio morbo confusionem finit.

§. 10.

Sectio cadaverum eorum, qui hoc malo animam expirarunt plures ostendit inflammationis intra cronium praegressae sequelas. Extrinsecus corporis superficies huc et illuc maculis violaceis et nigricantibus foedata est. Multis in casibus cranii ossa, quae non raro non nullis locis ultra modum rarefacta sunt, hiant. Aperto cranio, glandulae Pacchionanae plurimum sero turgidae apparent; vasa meningibus saepe inter se connatis insita valde distenta sunt, et sanguine turgent; inter tunicas ipsas et has atque cerebri superficiem lymphae plasticae et seri maximam ad partem lympidi, cete-

1) Versuch über den akuten Wasserkopf oder die Wassersucht im Gehirn. p. 30.

rum cum sanguine aut pure mixti collectio invenitur 1). In pluribus obductionibus Goelis 2) sanguinem sinui longitudinali inhabitantem in cruorem, lympham plasticum et serum dissolutum comperit. Cerebri ipsius substantia iusto mollior, pultacea vel plane dissoluta; gyris lympha plastica in formam membranae insinuata est. Ventriculi laterales, quorum parietes etiam substantia fibrosa obducti sunt, serum lympidum, modo floccis albidis, modo sanguine aut pure impraegnatum continent, quod interdum in ventriculum tertium, ex quo in quartum irrumpit; plexus choroidei granulis albis e lympha plastica confectis asperati, vel etiam hydatidibus obtecti pallent. Haec in capite. In thoroce dein reserato Hopfengaertner 3) pericardium aquae quantitate solito maiore oppletum invenit, quandoque etiam tubercula, saepe in suppurationem iamdum vergentia in pulmonibus, sine ullo eorum vertigio praegresso. Abdominis examinationes a Cheyne 4) institutae ostenderunt hepatis superficiem plerumque inflammatam et nodulis albidis magnitudinem seminum sinapeos aequantibus conspersam; modo etiam cum peritonaeo coalitam. Vesica fellea ut plurimum materia subviridi et viscida scatet 5).

---

1) Rosenstein. Anweisung zur Erkenntniss und Kur der Kinderkrankheiten p. 579.

2) op. c. vide sectiones.

3) op. c. 47.

4) op. c. plur. loc.

5) Hopfengaertner op. c.

§. 11.

Etiamsi ab omnibus concessum est, malum hydrocephali huiusmodi primarium esse actionem cerebri vosorum ultra modum auctam, variis de huius tamen actionis intensioris qualitate, ut ita dicam, sententiis dissident, alii eam pro inflammatione habent, alii cerebri vegetationem aegrae auctam duntaxat esse volunt. Illorum quidem sententia alteram opinionem non excludit, dum inflammationem semper vis egetativa morbose exaltata comitatur, aut potius ad eiusdem confirmationem necessaria est, cum in quavis inflammatione systematis arteriosi agitationem nimiam, cum proclivitate lympham plasticam, germen ad novas productiones praestantem, exudandi iunctam animadvertamus. Qui ita inflammationem contendunt, vegetationem auctam non in substantia cerebri sola ponunt, sed putant potius eandem ad nova etiam germina provocanda propendere. Contra qui inflammationem negant, cerebrum ipsum solum ultra modum vegetari asserunt, illudque vero momentum, nova puta procreandi, quod in inflammatione datum est, non admittunt. Illis igitur, qui inflammationem aiunt, quibus ego quoque assentior, ad triumphum agendum necessarium est, ut vere talia germina ad nova creamina in cadaveribus ex hoc malo mortuorum ostendant, quae repetitis atque accuratissimis sectionibus a Goelis institutis revera reperta sunt (§. X.). Interim me non fugit, ad inflammationem quid proprium et peculiare necessarium esse dici. Hoc vero proprium nihil aliud est quam proclivitas substantiam fibrosam ex

ceteris sanguinis partibus secernendi per vim vegetativam exaltatam effecta. Neque brevis stadii primi duratio ideae inflammationis, neque eius exitus, nec in eo symptomata, quae argumenta ei contraria adducta sunt, adversantur, potiusque omnia ad inflammationem spectant in tali quidem subiecto accensam, cuius vita ex actione solum vegetativa constat. Delirii etiam acuti, quod ab cerebri meningum inflammatione postulatur. defectus eam refellere haud potest, quia in adultis quoque cerebri et meningum inflammatio cum affectionibus soporosis copulata saepe occurrit. Et si in infantibus minorem aetatem degentibus soporis plus delirio feroce locum invenit, illud ab vehementissimo sanguinis caput versus impetu derivandum est, cui cerebrum adhuc immaturum nimirumque molle satre sistere nequit, itaque huius inde activitas minus excitatur, quam opprimitur, quo minus delirium nascatur. Contra in adultis, quorum cerebrum perfecte evolutum forti sanguinis irreptioni intensiorem resistentiam opponit: qua eius actio magis exaltatur quam supprimitur, et facile inde delirium oritur. Brevi porro inflammationis durationi vis vegetativa exaltata respondet cerebri, cuius confectioni natura plurimum primo vitae tempore impendit, idcirco in eo sine inflammatione lymphae iamiam plasticae depositio valde copiosa fit, inflammatio igitur multo citius acquirit finem suum, qui est exudatio. Ex hac enim ratione evenit, cur hac aetate cerebri inflammatio plurimum terminetur in exudationem, quippe quae ex aucta prodit vegetatione per quam materia plastica ab ceteris sanguinis partibus segregatur, ut supra (§. X.) videbamus, hac secre-

ta, quae vinculum quasi inter cruorem et serum fuit, hoc quoque, tenuissima sanguinis pars, liberatur et facile inde ope octionis vasorum arterissorum exaltatae effunditur.

§. 12.

Inter causas enumerandas cerebri primo aetatis spatio status considerandus primum sane meretur locum. Prima enim istius mali origo omnino in cerebri evolutione quaerenda est, cui natura prima aetate plurimum operis dat, quo illa inter capitis magnitudinem et ceterarum coporis partium ratio inaequalis prodit. Matura cerebri evolutio exposcit, ut sanguinis copia ad caput ascendentis hoc tempore maior sit quam serioribus annis, qua cerebrum etiam magis solicitatur, ideoque impressiones externas alioquin naturalibus annumerandas eo facilius aegre recipit. Simul cum conformatione organica animi vires excoluntar, quarum dein usus novas prorsum irritationes creat, quibus cerebrum denuo exagitatur, quo explicari potest, cur hydrocephalus acutus imprimis infantes mentis faventis infestet, quoniam mentis exercitatio cerebrum vegatione iam concitum etiam amplius incitat, iterumque maiorem sanguinis quantitatem allicit. Igitur levis tantum occasio postulatur, ut sanguinis impulsus caput versus ultra modum augeatur, iustaque inter vasa sanguinem ad caput aducentia et humores ab eo reducentia ratio turbetur, quo nimia cerebri repletio exoriri debet, quae facile accensionem efficit in exudationem in infantibus desinere solitam.

§. 13.

Limites ne opusculo huic fixos transgrediar, non singulas noxas huiusmodi hydrocephali primordio ansam dantes proferam, sed in classes redactas enumerabo. Frequentissimae simulque gravissimae sunt causae mechanicae capiti illatae. Alia causarum classis est metastaticarum, quae quam citissime summo cum aegri periculo malum producit, ad quas spectant tam acutorum quam chronicorum exanthematum retropulsiones et excretionum suppressiones suetarum, praecipue capitis. Tertia comprehendit calefacientia, quae impulsum sanguinis caput versus iam fortem amplius intendunt et praeter congestionem veram etiam spuriam, nempe ad volumen pariunt. Huc pertinet spirituosorum abusus et narcoticorum calidorum imprimis Belladonnae atque opii 1) incauta adhibitio. Quarta omnia amplectitur, quae sanguinis refluxui ab capite impedimento sunt, uti systematis mala venosi, et tumores cuiusvis generis, qui venas premunt, earumque negotium prohibent. Quinta ex consensu prodit, quo affectiones viscerum abdominalium praesertim hepatis cerebrum accendere valent. Denique saepissime dentitio difficilis culpa est, qua sanguis summopere ad caput proritatur, ubi enim cerebrum valde inflammabile facile adurit.

---

1) Goelis op. c. 73.

§. 14.

Ex organi isto malo tentati dignitate magnum iam manat periculum, in quo aeger versatur. Accedit, quod parentes animum ad principem morbum, quando hydrops futurus praepediri potest, haud sat advertunt, ut ab medico auxilium petant. Illo neglecto aut non cognito periculum per singulas horas crescit. Transitu in stadium secundum facto, optimum auxilii genus parum spei curationi relinquit. Exudatio demum perfecta totam medici artem aspernatur, deinceps etiam mors tragoediae mox finem imponit.

CURRICULUM VTAE

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

BEROLINENSIS

ADIECTUM.

Ego Mayer Levi anno millesimo, septingentesimo nonagesimo septimo Mainbernheimii, oppidulo t. t. in Marchirnatu Onoldino, h. t. Ducatui magno Wurzeburgensi adiuncto natus sum. Luce vit spectata, pater meus Francofurtum ad Moenum, quo accersitus, se cum sua contulit prole, ubi primas litterarum lineas accepi. Anno MDCCCXV Berolinum ad patruum meum missus sum, ubi gymnasium Berolino-Coloniense quod hic floret, aliquot annos frequentavi, quo relicto me ad vitam academicam privatim praeparavi.

Undecimo calendas Augusti anni MDCCCXVIII civibus universitatis Berolinensis a Rectore magnifico Marheinike adscriptus sum. Ab illo inde tempore his

me dedi studiis. Cel Hegel audivi logicen atque mataphysicen docentem, de electrisitate galvanismo et magnetismo disserentem Cel. Ermann, nec minus de physice cel, Turte. Ill. Hermbstaedt de chemia experimentali praelectiones frequentavi. Porro me docuerunt: zoologiam Cel. Lichtenstein, botanicen et historiam naturalem Ill. Link. De osteologia atque syndesmologia Ill. Knape de anatomia generali et organorum sensuum ac entozois Ill. Rudolphi audivi; in cadaveribus denique secandis ducibus Ill. knape et Ill. Rudolphi exercitatus sum. In physiologia praeceptoribus cel. Hockel atque Ill. Horeff usus sum. Pathologiam generalem me edocuerunt cl. Fr. Hufeland et exp. Boehr, quorum primus therapiam quoque generalem, pathologiam specialem Ill. Horn et Perill. Hufeland morbosque mulierum cel. Richter De pharmacologia Ill. Link, materia medica cel. Osann disserentibus adfui, nec non Ill. Berends non nullos Celsi libros explicanti. Arte morbos curandi me Ill. Horn ac Perill. Hufeland instruxerunt. In chirurgia tam generali quam speciali exp. Iüngken magistrum habui; in ophthalmiatrice. Ill. Graefe gavisus sum. In arte obstetricia tum theoretica tum practica mihi praeceptor cel. Kluge fuit. Scholas practicas in nosocomio caritatis duce clariss. Neumann sicut in policlinico duce Perill. Hufeland per annum frequentavi.

Nunc examinibus peractis, dissertatione conscripta et defensa spero, fore, ut summi in medicina honores mihi concedantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Animus utique aliquando aegrotat.

II.

Curatio prophylactica neutiquam rationalis dici potest.

III.

Distinctio debilitatis directae et indirectae magis therapeutica quam pathologica est.

IV.

Hydrocephalus acutus est morbus inflammatorius.